

† R. P. Vojtechus Styka (1864-1932)

(*Prov. Polon.*)

Initio Aprilis in domo nostra ad B. Mariae de Perp. Succursu in Mościska Prov. Polonicae diem supremum obiit R. P. Vojtechus Styka. Libet in praesentiarum vitam gestaue tanti viri saltem breviter enarrare.

Natus est Mrowlae apud Resoviam Poloniae Minoris die 26 Mart. anno 1864. Undevigesimum annum gerens Congregationi nomen dedit eo tempore, quo nostri cura Rm̃i P. Generalis Mauron in Poloniam redierunt, i. e. anno 1883.

Tirocinio Eggenburgi in Prov. Vindobonensi peracto, studiis philosophicis ac theologicis Mauternae incubuit. A. 1893 in Poloniam sese contulit, a paucis sodalibus, permulto onerosoque labore apostolico defatigatis, ingenti cum gaudio exceptus.

Et re quidem vera miles tiro spem veteranorum haud fefellit. Iam post aliquot menses Divi Servatoris animarumque ab Eo redemptarum amore exagitatus magno cum ardore in proelium contra infernalem hostem processit et usque ad ultimum vitae momentum nihil eum unquam ex acie excedere coëgit, nec morbus, nec defatigatio, nec aetas. Per 38 annos in laboribus evangelicis strenue naviterque desudabat.

Conspectus laborum nostrae Provinciae nomen carissimi defuncti paene 700 (septingenties) commemorat! Totam Poloniam laboribus suis apostolicis fecundavit a mari Baltico ad montes Carpathios, a finibus Germaniae usque ad Russiam. Evangelico aratro subvertit Magnum Ducatum Posnaniae, Silesiam, Galiciam, Regnum Poloniae Russiae subiectum et Volhyniam, et ante bellum etiam in Russia laborabat. Et quod mirum, in ipsa Petropoli (*Leningrad*), sede capitali imperatorum Russiae schismaticorum, missionibus incubuit...

Ad munus missionarii rite ac fructuose obeundum optima indole eximisque qualitatibus ditatus erat. Vox eius grandis simulque flexa et sonora, cogitationis impetus, modus dicendi brevis, concisus et sententiosus, sententiarum haud raro acutarum varietate abundans, admirabilis eloquentiae vis et gravitas omnium, qui eum audiebant, animos permovebant ad lacrymas et ad poenitentiam adducebant. P. Styka in sacro suggestu tempore missionis fuit vere Iuppiter tonans ac fulgurans. In conversatione semper affabilis, comis, hilaris, omnium corda ad se alliciebat. Si vero quid duriuscule dixerat vel egerat, demisse veniam implorabat. Per sex annos etiam munere Rectoris fungebatur, per multos munere Ministri. Qua religiosus P. Styka semper exemplo omnibus fuit amore non quotidiano erga Congregationem, studio exactae observationis Regulae et orationis continuae.

Dici revera potest eum in acie occubuisse. Etsi senex 68 annorum, more consueto tamen tempore Quadragesimae missionibus operam dedit. Sed graves praeter modum labores apostolici in Równo Volhyniae et Mikołajów, in regione itaque ubi populus parum excultus est et religione minus imbutus, robustam ac velut ferream eius valetudinem multum debilitarunt. Per totam Hebdomadam Sanctam fractus viribus adversa valetudine laborabat.

Ultima vice incruentum Missae Sacrificium die 30 Martii obtulit. Sequenti die medicus apud eum levem paralysim faciei animadvertit. R. P. Styka audiens haec, mortem instantem praesentiens, sua sponte postulavit ultima Sacramenta, quae magna cum devotione suscepit. Ad ultimum usque momentum vitae suae tranquillus, compositus, mentisque suae omnino compos, in haec verba pluries circumstantes confratres allocutus: « O quam bonum et pulchrum est in domo Dei Deo animam reddere!... » expiravit.

Mors eius tranquilla, absque ullo dolore et angore corporis vel animi, magno stupore ac gaudio omnes nos adfecit. *Ecce quomodo moritur iustus!*

Obiit in Mościska die 3 Aprilis a. 1932, duodeseptuagesimo anno vitae suae, professionis vero anno duodequingagesimo, et quadragesimo secundo sacerdotii.